

IN EXTINGVENDO INCENDIO FIDEI MANIFESTATA.

A Sicut in fugiendo serpente lethifero virtus enituit tanti Pontificis Leonis Papæ IV. ita in extinguendo incendio patefacta est fides ipsius, potentia crucis pollens. Rem gesti, hoc pariter an. 847. ita recitat Anastasius, in ipsius sui Pontificij exordio: Saxonū vicum validus, ignis inuasit, qui flammarū violentia cuncta comburere cepit validius, vbi populorum multitudo congregata sunt agmina, quæ huius incēdij flammam volebant extinguere; sed ventorū flatibus altius extēdebat ignis in aere, cuncta comburens atq; comminuens, ita vt proprius ad B. Petri Apostolorum Principis posita perueniret Saxonū & Longobardorum domos porticum concremans. Quo audito, ipse beatissimus Pontifex anxius illuc celeri cursu profectus est, & vt ob huius tanti ignis impetum se præpararet, Dominum deprecari cepit, vt huius incendij flammam extingueret, & vbi crucis prope frequentauit signacula digitis, amplius ignis extendere flammam non potuit; & beati virtutem ferre non valens Pontificis, extinctas flammam redegit in cinerem. *Baron. tom. 10. Annal. ad annum 647. ex Anastasio.*

PER FIDEM PROLES RERVM QVE
ABVNDANTIA OBTEENTA.

B ZACOMVS tribunus carebat liberis ætate iam senescens. Et quum monachum quendam magna gloria virum adisset, quum alia pleræque ei per colloquium exposuit tum ærumnam quoque eam & casum deplorauit. Supra modum enim apud Saracenos magni penditur liberorum procreatio: nec apud eos modo, sed etiam, vt arbitror, apud barbaros omnes. Ille bono animo eum esse, precatione facta, & reuertit domum iussit, fore pollicitus, vt breui pater fieret, si modò in Christum sibi credendum esse statueret. Postquam autem dictum id euentus comprobauit, & filius progenitus procreationem illam veram esse confirmauit: & ipse Zacomus religione nostra est initiatus, & tribum eam omnem, cui præfuit, ad eandem gratiam adduxit. Ab eo tempore tribum istam admodum floruisse, magnæque & numero & amplitudine incrementa cepisse, at que Saracenis & Persis formidabilem fuisse dicunt. *Niceph. Callist. l. 11. Hist. cap. 47. Sozom. l. 6. cap. 38.*

AGRI STERILES FOECVNDI EFFICVNTVR.

C Sterilis erat ager (ait presbyter Copres nomine, vir sactus, prope octogenarius) qui est prope nos: & rustici qui ipsum possidebant, seminantes vix semen duplicatum metebant: vernis enim nascens in spica totam messem corrumpibat, Agricola autem catechismo à nobis instituti, & effecti Christiani, rogarant nos, vt orarem pro messe. Dixi autem eis: Si habetis fidem in Deum, vel arena deserti fructum vobis afferet. Ij autem nihil cunctati, cum hæc arena, quæ à nobis calcatur, sinus implessent, attulerunt rogantes vt benediceremus. Postquæ autem sum precatus, vt illis fieret secundum ipsorum fidem, ipsi eam cum frumento seminari in aruis suis: & repente eorum ager ita multiplicauit fructum, vt omnem superaret Agyptum. Hoc ergo facere soliti nobis quotannis exhibent molestiam. *Pallad. in Lantiac. scilicet. 44. c. 54.*

* FIDEI CHRISTIANÆ.

Dilatatio, propagatio, apud varios, & à variis, neque in vno modo, facta.

EXEMPLA S. SCRIPTURÆ.

CHRISTVS DOMINVS ex hoc mundo ad Patrē transiturus, Apostolos Euangelij sui præcones in Ecclesia quam plantauerat reliquit, quibus ceu extrema mandata dedit, *Eyentes in mundum vniuersum, predicare Euangelium omni Creatura.* Illi autem abeuntes prædicauerunt vbi que Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis. *Marci ultimo cap.*

D Certè post primam Petri prædicationem, die Pentecostes factam Ierosolymis, cum pluribus verbis testificatus esset de Iesu, & Iudæos astantes exhortatus, qui receperunt sermonem eius baptizati sunt, & appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Erantque perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. *Act. c. 2.*

Idem Petrus ingressus in templum ad horam orationis nominam, claudum vtroque pede sanauit, logoque sermone huius occasione miraculi, Christum adstantibus annuntiauit. *Multi autem eorum qui audierunt verbum crediderunt: & factus est numerus virorum quinque millia, & notant Veterum plerique, inter quos Oecumenius & Chrysostomus, hunc numerum credentium à Christo indicatum, dum iussit Apostolis quinque panes distribuere in quinque millia hominū, qui omnes satiati fuerit, ita vt fragmentorū XII. cophini superesset.* *lb. c. 3. & 4.*

Saulus adhuc spirans minarum, & cædis in discipulos Dominum, accessit ad Principem Sacerdotum, & petit ab eo Epistolas in Damasco ad Synagogas, vt si quos inuenisset huius via viros ac mulieres, vinctos perduceret in Ierusalem. At iter facienti & appropinquanti Damasco, subito circumfulsit eum lux de cælo: & cadens in terram audivit vocem de cælo dicentem sibi, *Saul Saul, quid me persequeris, qui dixit: Quis es Domine?* Et ille, *Ego sum Iesus quem tu persequeris.* Itaq; tremens ac stupens, ingressus Ciuitatem, per impositionem manuum Anania visum recepit, & surgēs baptizatus est, ac continuo ingressus Synagogas, prædicabat Iesum, quia hic est filius Dei. Ecclesia autem per totam Iudæam, & Galilæam, & Samariâ habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & consolatione sancti Spiritus replebatur. *Act. c. 9.*

Sed & vir erat in Cæsarea nomine Cornelius Centurio cohortis quæ dicitur Italia: religiosus ac timens Deum cum omni domo sua, Hic vidit Angelum introeuntem ad se: qui iubebat vt accerferet Simonem Petrum, Qui cum venisset, euangelizauit illi Iesum, & omnibus qui cum eo erant. *Adhuc eo loquente cecidit spiritus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcissione fideles, qui venerunt cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.* *Ibid. cap. 10.*

Porro hæc ipsa fidei Christianæ propagatio, quæ in nationes faciendâ erat, Apostolorum Principi illustri symbolo fuit indicata. Ascenderat enim in superiora domus vt oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parentibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam quatuor iniis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpenta terræ, & volatilia cæli, vnde mox ad illos qui cum Cornelio aduenerant, eum præstolantes, ostendit, inquit, mihi Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem, & paulò post. In veritate competi, quia non est personarum acceptor Deus. Nempe non solum vocat ad Ecclesiam suam Iudæos, seu illos qui legem ex Gentibus, vt Proselyti, profitebantur; sed etiam quoscumque ex iisdem Gentibus, absque onere legis. *Ibid. cap. 10.*

Ceterum per hæc tempora viri quidam Coprij & Cyrenæi introierunt Antiochiam, & locuti sunt ad Græcos, annuntians Dominum Iesum. *Et erat manus Domini cum eis, multisque numerus credentium conuersus est ad Dominum.* *Ibid. cap. 11.*

Etiam Proconsul Paulus videns quomodo ad verbum Apostoli Pauli Elymas Magnus qui ei resistebat, excæcatus fuisset, credidit ocium, admirans super doctrina Pauli. *Ibid. cap. 13.*

Dicentibus ad Iudæos Paulo & Barnabæ vobis oportebat primum loqui sermonem Dei, sed quoniam repellitis illum, *Ecce conuertimur ad gentes: audientes Genes gauisæ sum, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Vbi Lucas non asserit, causam præordinationis aut prædestinationis esse fidem, aut eum qui hanc habet, esse prædestinatum: Vide præordinati omnes credentes aut nullos alios credidisse, quam qui erant præordinati ad vitam æternam: Hæc enim à Caluinistis ita dicta affirmantur, sed falso: neque enim hic sermo est de prædestinatione, sed de præordinatione, siue Dei voluntate à Prophetis prædicta, qua ordinauit gratiam Euangelij etiam Gentibus concedendam, è quibus nunc nonnulli crediderunt, adeoque in via vitæ æternæ dispositi sunt. Alii, verò hunc locum exponunt de iis, qui seipis, hoc est, instinctu & voluntate sua ordinati sunt ad vitam æternam, neque se illius indignos vt obstinati Iudæi reputarunt. Nimirum omnibus prædicatum est Euangelium, pars admisit, & velut in ordine ad vitam tendentium collocauit & coordinauit. *Ibid. cap. 13.*

Factum quoque est Iconij, vt Paulus & Barnabæ simul introirent in Synagogam Iudæorum, & loqueretur ita, vt crederet Iudæorum & Græcorum multitudinem copiosa. *Ibid. c. 14.* Iisdem trāscentibus per diuersas ciuitates, Ecclesiæ confirmabantur in fide, & abundabat numero quotidie; tradebat enim eis custodire dogmata quæ erant decreta ab Apostolis & Senioribus, qui erant Ierosolymis, quod aduertant hæretici nostri tēporis, qui nihil credendum seruandūque à Christianis contendunt, quam quod in Scriptura diuina clarè est expressum: neque vllas traditiones recipiunt, cum tamen hæc dogmata quæ Ierosolymis erant decreta, videlicet, *Cap. 15. In primo*